

Appendix. — Europa Nro. 54.

## Regnum Mortuorum.

Dialogi Politici Mortuorum.

*Elisium Meum* 21. Junii 1808.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,  
Ante pudor quam te violam, aut tua jura resolvam.

*Querentes Umbrae contra Angliam.*

Erat dies memorabilis, erat festum, memoriae praetoriorum sacrum, in regno mortuorum. Magnus eruditione Hispanus *Munnoz* comparuit cum longo Registro antiquorum peccatorum nationis anglicanae contra Hispaniam, quorum memoria ad notitiam historicam Hispaniae pernecessaria est; continentiae erant sequentes: Querelae Hispaniae, seu potius offensiones, quibus natio anglica aulam Hispanicam ad indignationem concitavit, habent suas solutiones a pace Parisiensi 1763.

Merito credi posset, dicit *Author Descriptionis commercii Anglicani* etc. Aulas interessatas hunc tractatum studio adeo imperfectum relinquere voluisse, ut quaevis pro volupe eum frangere, pacemque, dum vult, rumpere possit. Vigore hujus consecuta est Anglia ab aula Madriensi favorem illum, ut in littoribus *Campeche* ligna colorata cedere possit. Sub praetextu lignationis illocavit se Anglia in variis portibus, fluvii, littoribus territorii hispanici *Hondouras*, usurpavitque dominatum, qui Hispanis periculosus erat. Aula Hispanica repetiit saepius querelas suas apud anglicanam gubernium, postulavitque, ut juxta conditiones pacis parisiensis erecta per se in sinu *Hondouras* praesidia demoliantur; sed tantum abfuit, ut Anglia his parvisset, ut potius nova crexerit praesidia, et illocarunt se Angli etiam in *Riotiato*, *Rio Martina*, et *el Piche*, ubi ferale clandestini commercii centrum collocarunt. Ab hoc tempore nihil sanctius erat Anglis, quam in ditionibus hispanicis seditiones, tumultusque seminare, suosque in territorio hispanico extendere limites; huc tendebat tota eorum Politica inde a pace Parisiensi, cujus sequela erat aeterna series violentiarum, irruptionum, offensionum, hostilitatumque.

Anno 1775 quidam Medicus Anglicus, ab itineribus suis circum Mundum notus, inceperat fundare coloniam in Pro-

vincula Hascha, qui sub nomine ficto Doctoris *Irvin* cura filio cujusdam Regis Indiaci, et aliis duobus Indianis de stemmate, qui his in regionibus noti erant, quosve hunc in finem in domo sua educaverat, discessit Londino navi propria, quae omni genere Instrumentorum agriculturae, artiumque mechanicorum, et multis familiis onerata erat, sed navis haec incidit in manus Hispanorum, qui ad litus maris habi aut, Palma hujus ad Anglos perlata, incitarunt hi *Mosquitos*, gentem barbaram, ut navim, quae Hispanos pro fundanda colonia ad fluvium S. Joannis ex Insula Cuba vehebat, adgrederentur, Hispanosque trucidarent. Eodem tempore concitarunt feros populos in litoribus S. Blasii, quem in finem Gubernator Jamaicae cuidam Indiano de stemmate, *Bernard* nominato, Patentes cum insigni Comendantis dederat, in quibus lingua anglica scriptum erat, eum Capitaneum Generalem Litorum S. Blasii nominatum esse.

*Pascaguas*, nationem Luisianae conterminam, et Hispanis amicam corruperunt ad defectionem armis, variis monetis, et Patentibus. His mediis eo rem plane deduxit audiendum Ministerium, ut Regem Mosquitorum corruperit, qui primores stammatum, qui ad Proregem Mexicanum proficisci, seque subditos Hispaniae declarare volebant, ab hac intentione avocavit. Opera hujus Indiani, et adhuc alterius, cui nomen *Jacobus Curri*, qui Generales Patentes Londino acceperat, concitavit Gubernator Jamaicae *Charcas*, *Chibaguas*, et *Chiocas*, ut fines Hispanorum hostiliter invaserint. Planum hoc tale erat: Ut *Chiocas* et alii more suo barbarico ubique incendia spargant, domos habitatorum expilent; tandem ut conspirantes in certo loco *Natches* conveniant, ibidemque semet cum cohorte armata Anglorum, quae eos expectabat, uniant.

Ab usurpatione ad tyrannidem est unicus duntaxat passus. — Defectio aliquot nationum, Hispanis amicarum, evertit executionem hujus projecti, ast simul occasionem dedit Anglis de novo stratagemate cogitandi. Cum adhaesione Hispanis causam sinistrae successus esse vidissent, pro quovis Hispano, quem Indiani rapuissent, promiserunt pellem cervinam. Omnem, taliter raptum Hispanum coegerunt Angli ad arma contra Indianos gestanda, eosque offendentes, et hac ratione inocularunt semen odii et aversionis contra Hispanos in corda horum ferorum populorum, quod germani omnis adhaesione erga Hispanos praefocavit.

Haec fiebant in Continente; in pelago autem Capitanei navium anglicanarum mille modis insultabant navigiis Hispanorum, qui naves regias, ipsas plane cursorias, quae officiosas Gubernii litteras vehebant, pro ludibrio visitabant, expilabantque. Obruebant domos teloniales, cassasque Hispanorum, et eripiebant eis intercaeplos teloniorum praeva-

ricator  
31. Ou  
naves  
navim  
pro co  
tos in  
insole

C  
driten  
solent  
enim  
num H  
quaep  
tensis  
haec c  
tuisset  
lere, a  
provis  
erat H  
nensis  
manda  
gruosq  
nes; C  
ad alia

L  
viderit  
ut dum  
Ameri  
praeda  
puncto  
propte  
dam C  
ves ad  
in Lui  
nari ce  
miserat  
nisteriu  
*Ibervill*  
anglicu  
eident  
ad por  
peccato  
pore re

M  
cus, in  
celebris  
hora di

vicatores Anglicanos. Navis Hispanorum *Beata Maria* dicta 31. Octobris 1773 inter insulas *Mona* et *Soona* incidit in duas naves subsidiarias Anglorum. Officialis anglicus conscendens navim hispanicam, detractis Regis Hispaniae insignibus, pro contemptu sudorem sibi detersit. Sed quis memoret tantos insultus, tantaque petulantiae genera, quae Hispani ab insolentia Anglorum perpeti debebant.

Cum inaudita potentia, et longanimitate tulit aula madritensis hos Anglorum insultus, donec eum attigissent insolentiae gradum, ut ultra tolerari non potuerint; ab anno enim 1763 usque 1779. quo bellum erupit, puncta gravaminum Hispaniae numerum *Centum* longe superabant. Quoties quaequam talis laesio evenit, toties proposuit aula Madritensis querelas suas gubernio anglicano, ad quas tamen haec cum ambitione, et contemptu respondit. Hispania potuisset sibi ipsi satisfactionem impendere, et vim vi repellere, a qua tamen omnes naves hispanicae, licet tormentis provisae, quam severissime inhibitae sunt. Diu contenta erat Hispania frivola illa excusatione: Quod aula Londinensis nihil de similibus sciat. Quod haec eveniant praeter mandatum Ministerii, Quod in rem investigaturum, congruosque daturum sit ordines; aliique similes loci communes; Quod item Authores non amplius in vivis essent, aut ad alias stationes missi, adeoque factum erui non possit.

Licet aula Madritensis fucum harum sublestitiarum clare viderit, permansit tamen constans in amicitia cum Anglia, ut dum haec cum coloniis suis ad collisiones venit, Piratis Americanis interdixerit, ne in portibus hispanicis naves praedatorias instruunt, aut praedas eo debebant, quo in puncto adeo strenue in haesit Hispania neutralitati, ut plane propterea cum aliquibus Piratis, inter hos cum noto quodam *Cunnigham* ad discordias ipsa deveniret, qui Regis naves adgressus erat; Fugientibus ex Coloniis subditis Angliae in Louisiana asilum dedit, et dum in *Pensacola* fames dominari cepisset, Hispania magnam farinae quantitatem eorsum miserat; et quid pro his omnibus recipiarunt Angli? Ministerium quippe ad rippas fluvii *Mississippi* ex parte maris *Iberville* complura erigi iussit propugnacula. Commendans anglicus minabatur possessionibus hispanicis in India occidentali, et armata navis subsidiaria Anglorum comparuit ad portas *Novi Aureliani*. Hoc est summarium antiquorum peccatorum Angliae contra Hispaniam; Recentiora suo tempore recensentur.

#### *Biographia.*

*Munnoz.* Joannes Baptista, celebris scriptor Hispanicus, in Germania eniprimis propter historiam Novi mundi celebris, Natus Anno 1745 in pago Museros, Valencia una hora distante. Cursum scolasticum terminavit in Metropoli;

cum inter suos excelluerit; condiscipuli ejus eundem pro exemplo, et imitatione in studiis stimpserant. Jam anno aetatis 20 fuerat Professor Philosophiae Valentiae, ubi philosophiae Aristotelis, quae ante tradebatur, substituit novam, cujus exemplum Professores in aliis etiam Universitatibus mox sequebantur. Duobus post annis scripserat Prologum ad Rhetoricam Patris Ludovici de Granada, et Logicam Kernei, in quo admirandam pro sua aetate prebavit eruditionem, quam ex scriptis Restauratorum scientiarum saeculi 15 et 16. hauserat. Anno 1779 jussu Regis Hispaniae Caroli III. qua cosmographus Indiae, scripserat universalem historiam detectionis novi mundi, et Coloniarum Hispanicarum, quem in finem omnia eidem patebant Archiva. Post intensos 13 annorum labores Anno 1793 prodixit Madriti tomus primus hujus Historiae, cui Titulus; *Historia del Nuevo Mundo*, quod opus inter omnia reliqua opera sua perfectissimum est; quod tamen opus consummare non potuit, die enim 19. Junii 1799. Madriti obiit. Erat is Cosmographus Major Indiae, et Commissarius in Cancellaria Ministri Indiarum: Tomus secundus hujus historiae tempore mortis ejus jam erat in manuscripto paratus, prout etiam unus tomus Documentorum; quae, prout omnia alia ejus scripta Rex occupavit. De scientia, mansuetoque caractere ipsius plura reperiuntur in opere Vice Directoris Speculae Regiae Madritensis Josephi *Clair* apud Zach in suis correspondentiis mensuris in Octobri 1800.

*Diarium Politicum.*

Rex Neapolis Josephus (jam nunc Rex Hispaniae) advenerat Bajonnam 7. Junii, cui imperator Napoleon ad spatium 2 horarum occurrit, et curru suo impositum, ad castrum *Marsok*, ubi ipse habitat, deduxit; hic excepit eum Imperatrix in corona totius Aulae suae. Mox accessit ad Regem Deputatio Hispaniae, quam Dux *Infantado* ducebat, qui Regem his allocutus est: „Sire! cum solatio comparemus ad conspectum Vestrae Majestatis, a cujus regimine omnia sperat Hispania, quae ut resurgat, praesentia Vestrae Majestatis necessaria erat. Proceres (Grandes) Hispaniae semper excelebant fide erga Reges suos, quam et M. V. in iis erga sanctam suam personam inveniet; velit ergo hocce homagium nostrum ea suscipere benignitate, cujus tanta monumenta in regno Neapolitano reliquerat.“ — Rex ad haec: „Se totum saluti Hispaniae consecraturum, ac ante omnia omnibus viis ad laboraturam, ut ordinem in re financiali reparet, exercitusque et rem navalem restauret. Hispanos de conservatione suorum privilegiorum securos esse, se juxta locos imperare velle, ac cum primis protectionem suam Grandibus spondere,